



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Gallia Vindicata, In Qua Testimoniis Exemplisque  
Gallicanæ Præsertim Ecclesiæ, Quæ Pro Regalia, Ac  
Quatuor Parisiensibus Propositionibus A Ludovico  
Maimburgo, Aliisque producta sunt, Refutantur**

**Sfondrati, Celestino**

**[Ort nicht ermittelt], MDCLXXXVIII.**

24. Projectum Appellationis contra Mandatum Cardinalis de Bonzy.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38277**

fui, & appellationis ab Episcopo imperatæ executoris, ut-  
pote qui ex debito officij sui non potuerint impositum ap-  
pellationis deferendæ Mandatum recusare. Méque Nota-  
rium requisivit, ut, &c. Actum die & loco ut suprà, &c.

Nicolaus Episcopus Alecſtenſis.

## Documentum XXIV.

Projectum Appellationis & Protestationis con-  
tra Mandatum seu Constitutionem Eminentissimi Cardi-  
nalis de Bonzj Archiepiscopi Narbonensis, quod tamen  
expediri non potuit ob mortem Illustrissimi  
Episcopi Alecſtenſis.

**A**Nno 1677. Illustrissimus & Reverendissimus Dominus  
Nicolaus Pavillon Episcopus Alecſtenſis coram me  
Notario constitutus Eminentissimum Cardinalem Bonzj  
Archiepiscopum Narbonensem, nec non Dominos Can-  
delon, ejusdem Diocesis Promotorem, & Joannem Petrum  
Gaston de Foix Presbyterum alloquens dixit, se, cum pro  
tuenda sacra Episcopali dignitate Constitutionem quam-  
dam sub data vigesima secundæ elapsi Octobris emittere,  
eaque licentiam Officialis Narbonensis, Magistri Bernardi  
du Mas coercere compulsus esset ( qui non sine omnium  
Episcoporum gravi injuria constitutiones quinto Martij &  
decimo septimo Octobris Anni 1676. à Reverendissimo &  
Illustrissimo Domino Episcopo Alecſtenſi Exemptionis &  
libertatis Ecclesiasticæ tuendæ gratiâ publicatas ausus esset  
infirmare irritasque declarare ) non potuit præfatus Do-  
minus Episcopus Alecſtenſis non vehementer mirari, Emi-  
nentissimum Cardinalem de Bonzj Archiepiscopum Nar-  
bonen-

allia  
indicata  
ca III  
230

bonensem non solum communem omnium Episcoporum causam noluisse amplecti (quorum iura in persona Episcopi Alectensis omnium in ea Provincia Episcoporum antiquissimi aperte violata sunt) verum etiam Officiali suo se adunxisse, ab eoque audacter peracta, edita die quinta Novembris Constitutione, sustinere aggressum esse, qua Domini Episcopi Alectensis priorem Constitutionem sacris Canonibus Regni que legibus ab Ecclesia Gallicana hactenus observatis, necnon quieti Conscientiarum ac Hierarchice Disciplinæ contrariam, & censuras in eadem Constitutione latas, irritas nullasque declarat, ac omni effectu cassas. Prohibet insuper inhihetque præfato Domino Episcopo Alectensi, ne deinceps huiusmodi Constitutiones promulget, nisi velit Canonicam distinctionem puniri. Juber deinde sententiam ab Officiali suo pronuntiatam Eidem Domino Episcopo & Capitulis tam Cathedralis quam Collegiatae S. Pauli Ecclesiarum iterato insinuari, illique sub pena Excommunicationis ipso facto ab omnibus Canonicis aliisque Ecclesiasticis personis, quæ directè vel indirectè executionem præfatae sententiæ impedirent, incurrendæ, exactè promptèque obediri. Hæc Eminentissimi Cardinalis & Archiepiscopi Narbonensis sententia ut primùm ad notitiam pervenit sæpè dicti Domini Episcopi Alectensis, continuo ab ea appellandum duxit, prout etiam appellavit: tantoque plures dolendi causas conquerendique se habere credidit, quod exaratis ad eundem Eminentissimum Cardinalem litteris (quarum copiae huic Appellationis actui adjunctæ sunt) rationes & causas prolixè notaverit, ob quas conscientia & obligationi suæ defuturum se credit, nisi Constitutionem suam quinto Martij anno 1676. datam in lucem emitteret, eaque canonicam & naturalem, omnisque

omnisque Regaliæ expertem Ecclesiæ Alectensis libertatem pro virili sua parte sustineret, & tamen præfatus Dominus Cardinalis ne dignatus quidem ad ea respondere, quæ ab Alectensi Episcopo proposita fuerant, eumque, siqua in re à vero aberrasset, præmonere, contra omnes æqui honestique regulas, Constitutionem suam non vulgandam tantum, sed etiam typis imprimendam curavit, ut vid. tantò spectabilius characterem ac dignitatem Episcopalem fœderet, eum id potius præstare debuisset, ut Officialis sui temeritatem coerceret, ac injuriam reparandam curaret, quam in persona Alectensis Episcopi toti Episcopali Collegio audacter inuisset. Hæc sunt, quæ præfatum Episcopum Alectensem impellunt, ut ad rationes respondeat, quæ in Constitutione seu Mandato Narbonensi continentur, illibatâ tamen integrâque reverentiâ sacra Purpuræ debitâ.

Primò ergo allegatur, sententiam à Domino de Mas pronuntiatam legitimæ potestati inniti; eum quippe cum sit Domini Archiepiscopi Narbonensis Vicarius Generalis & Officialis, ejusque auctoritate & potestate fungatur, potuisse omnia, quæ idem D. Archiepiscopus poterat; nam ex juriis quoque dispositione Judicis delegati & delegantis eandem esse jurisdictionem & potestatem. Ad quod confirmandum sæpè dictus Dominus Archiepiscopus multas congerit Jurium auctoritates, quæ Delegatis favere videntur, additque: *Olim nunc Presbyteros Comitij Generalibus, nunc Diaconos præsedisse, idque non tam propriâ, quàm aliorum auctoritate, quorum vid. personam sustinebant; sua quoque in Comitij suffragia contulisse, quibus Episcopos, Archiepiscopos & Patriarchas damnabant.* Cæterum, omnia hæc argumenta & auctoritates, quæ Domino Archiepiscopo congerere placuit, planè inutilia sunt, nulliusque momenti,

M m

arque

allia  
indicata  
ca III  
275

atque in alienum sensum detorta, idque multis ex causis. Nam *primò* pro fundamento id supponunt, quod apertè falsum est; neque enim Officialis est Judex propriè delegatus, sed ordinarius, & ordinariâ fungens jurisdictione, æquè ac alij ejusdem D. Archiepiscopi Judices, & ita quidquid de Judicibus delegatis dicitur, nullo modo aptari potest præsentì argumento. *Secundò*. Quamvis negari haud possit, causas Episcoporum aliquando à Presbyteris & Diaconis judicatas esse, idque auctoritate Antistitum, à quibus delegati erant; nunquam tamen exemplum ostendi potuit, id à solis Presbyteris & Diaconis factum esse, sed semper unà cum alijs Episcopis, ita ut semper verum sit, causas Episcoporum ab alijs & competenti numero Episcopis judicatas esse. Casus ergo, de quo in præsentì agimus, toto celo ab eò differt, qui à Domino Archiepiscopo nobis opponitur. Quippe unicus & solus Presbyter est, qui nulli alteri Episcopo junctus ausus est auctoritatem sibi sumere Episcopum judicandi, ejusque Constitutiones irritas nullasque declarandi, id quod nullo antiquitatis exemplo purgari unquam poterit. *Tertiò*. Si principia & rationes Domini Archiepiscopi aliquid convincerent, sequeretur in causis, quæ personas etiam Episcoporum eorumque depositiones spectant, posse ab aliquot Diaconis, quos Episcopi delegassent, Episcopos judicari, quamvis interim nullus Episcoporum aut Archiepiscoporum dignaretur eas causas cognoscere; quo nihil potest dignitate Episcopali indignius dici, magis que Sacris Canonibus adversum. Hæc omnia satis superque ostendunt, quàm vana sint nullòque fundamento nixa, quæ ab Officiali Narbonensi pratextuntur, & hæc sola sufficerent stabiliendis Episcoporum juribus. Verùm ut hæc ipsa certissima reddantur, ut quæ nullâ tergiversatione

versatione negari possint, ad principium reducemus, quo  
 in Ecclesiastica Disciplina nullum certius firmiusque. Illud  
 verò est: quòd jus ab antiquis Canonibus inductum aboleri  
 destruique non potest, nisi auctoritate, quæ, aut major aut par  
 sit Concilijus jus illud constituentibus, aut saltem legitimam  
 consuetudine & possessione. ob quam illud jus præscrip-  
 tum, eique à partibus voluntariè renuntiatum esse dici  
 possit. Jam verò certum est, antiquos Canones statuisse,  
 ut causæ Episcoporum à Metropolitanò, Conciliove Pro-  
 vinciali, non verò à Sacris Canonibus judicarentur. Qua-  
 rimus ergo, quis hunc morem à Sacris Canonibus indu-  
 ctum abrogaverit? Aut forsàn Concilium aliquod Oecu-  
 menicum ostendi potest, quod aliam judicandi formam  
 præscripserit, & Episcopos sententiæ ac judicio Officialium  
 submitterit? Planè si D. Archiepiscopus Narbonensis hu-  
 jusmodi aliquas auctoritates causæ suæ fulciendæ habuisset,  
 omnino haud dissimulasset; cum ergo nullas alleget, con-  
 stat id non oblivioni, sed indigentia adscribendum esse.  
 Multò minùs dici potest consensisse Episcopos, ut hoc jure à  
 Canonibus stabilito privarentur, cum potiùs auctoritates à  
 Domino Archiepiscopo allegatæ contrarium probent;  
 Ipse enim faterur, Suffraganeos Diocesis Narbonensis con-  
 tendisse, non posse Officialem Archiepiscopalem de Epi-  
 scoporum Constitutionibus judicare, imò totum Clerum  
 Gallicanum super hoc puncto suas querelas Regi obrulisse.  
 Nec etiam dici potest, Officiales in pacifica hujus juris pos-  
 sessione esse, illudque beneficio longævæ consuetudinis  
 præscripsisse: cum è contrario potiùs, quoties hoc jure uti  
 voluerunt, Parliamentorum Arrestis comprehensi sint,  
 hujusmodi appellationes abusùs damnantium; quantò er-  
 go minùs permisissent non judicari tantùm, sed etiam con-  
 demnari

M m 2

demnari

Gallicanum  
 indicata  
 Ca III  
 275

demnari Episcopos non citatos inauditósque? Celebreeft Arrestum, præsertim de anno 1577. in favorem Carnotensis & Melitensis Episcoporum, à Citatione Senonensis Officialis tamquam ab abusu appellantium; edixitque Curia, Officialem potestate suâ abusum esse; citationem verò ipsam irritam nullámque declaravit, decrevitque, ne Suffraganei Episcopi juxta Sacrorum Canonum dispositionem in ijs, quæ ad disciplinam correctionémque Ecclesiasticam pertinent, coram Vicarijs Generalibus, sed solum & immediatè coram Archiepiscopo respondere, eique obedire teneantur. Reperiuntur apud du Luc in Collectione Arrestorum, quæ in publicum edidit, duo alia & antiquiora Arresta, de annis vid. 1550. & 1553. in favorem Nivernensis & Tricastensis Episcoporum, qui cum ab Officiali Senonensi citati essent, Parlamentum pronuntiavit, hujusmodi citationes nullas & abusivas esse, additque præfatus du Luc hæc verba digna memoratu: *Potest quidem Archiepiscopus Provincialis Episcopum in jus ad se vocari jubere, in eumque iudicare; sed neque per Juridicum, quem Officialem appellant, neque per Vicarium quacumque præditum potestate. Qui ergo? Sane per semetipsum & alios Provinciales Episcopos, quos in Concilio adhibere habet necesse; cujus contrarium cum Senonensis Archiepiscopus in Nivernensem & Trecentem Episcopos usurpasset, & in abusum causati provocassent, de forensi pralio superiores evaserunt.*

Hæc verò à præfato Auctore insinuata jurisprudentia adeò certa & indubia est, ut inauditum sit, careátque exemplo, fuisse Metropolitanum aliquem, qui paria ausus fuerit Narbonensi Officiali, quem proinde coerceri efficaciter oportet. Præsertim cum ne quidem ipsi Domino Archiepiscopo potestas fuerit, ut de Constitutione Domini Episcopi Alectensis solus judicaret, eaque ratione & modo, quem

quem ejus Officialis sibi usurpavit, idque non solum ex rationibus ab Illustrissimo Domino Episcopo Apamiensi insinuatis (quia vid. id sine cognitione causæ factum, nec partibus, quarum intererat, vocatis, id quod planè Ecclesiæ Sacrorumque Canonum spiritui contrarium est, ut viderelicet apud S. Gregorium Magnum *lib. 7. epist. 62.* Apud Adrianum in Capitularibus *capite 22. & 26.* In Concilio Aquisgranensi *anno 816. lib. 1. cap. 35.*) Verùm etiam ex eo capite, quòd licet Archiepiscopus Metropolitanus sit omnium suorum Suffraganeorum superior, non ideò tamen judicare de illorum causis potest, nisi in casibus speciatim à Jure permisis; & tunc quoque non solus, sed tantùm in Synodo Provinciali, sic enim in Antiocheno *anno 341. cap. 14.* & Constantinopolitano Concilijs *anno 382.* & in Capitularibus *capite 29.* apertè statuitur.

Conqueritur quidem Dominus Archiepiscopus Narbonensis, nolle Dominum Episcopum Alecensem Appellationes tamquam ab abusu in Diocesi sua tolerare. Ceterùm hæc ipsa criminatio abundè ostendit, non satis de moribus Episcopi Alecensis, ejusque agendi ratione, Domino Archiepiscopo constare. Enimverò ejusmodi Appellationes semper ille admisit, & tunc solum rejecit, quando dolo malo ac justitiæ eludendæ adhibebantur, & quando omnes simul Episcopi contra illas declamabant; tunc enim omnium Episcoporum querelis suas quoq; sociavit, & illæ à Parliamentis Regiòque Senatu pro justis acceptæ sunt.

Minus etiam præfatum Episcopum Alecensem morari debet, quod sæpe memoratus Dominus Archiepiscopus in defensionem Officialis sui allegat, cum vid. cum dixisset Constitutionem Domini Episcopi Alecensis *Legibus Regni Gallici adversari*, continuò adjecisse: *Quæ in Ecclesiæ Gallicana*

allia  
indicata  
Ca III  
230



*Galliana haecenus observata sunt*, ut vid. innueret, se de illis tantum legibus loqui, quae ab Ecclesia receptae observataeque de prophanis & politicis in Ecclesiasticas transferunt. Caeterum intelligi haud potest de quibus Legibus Officialis loquatur, & quanam illae Ecclesiasticae & Politicae leges sint, quas ab Episcopo Alectensi violatas esse conqueritur. Videri poterat de Regia loqui Declaratione, quae in favorem Regiae conscripta & prodita est; sed cum constet eam ab Ecclesia receptam non esse, idque non lateat Dominum Archiepiscopum, qui verba Officialis in alium sensum detorquet, & ea intelligenda esse dicit de nescio qua lege, Episcopis prohibente, ne in causis, de quibus Judices competentes jam aliam judicaverunt, quidquam disponant decernantque, sed supplicare tantum ijs liceat. Sed ad hoc prompta est responsio, vid. nullam esse aut Regiam aut Ecclesiasticam legem, quae prohibeat Episcopis, quo minus Personis Ecclesiasticis, & manifestis Concilij Oecumenici violatoribus Excommunicationem à Concilio indictam denuntient, quod solum & unicum est, quod Domino Episcopo Alectensi imputari potest, & ne ad hoc quidem progressus est, nisi ad Convantum Cleri Generalem, ipsumque Dominum Archiepiscopum Narbonensem datis prius litteris, quibus rogabantur, ut super hac causa Regiam Majestatem convenirent; quod cum impetrare à Clero non potuisset, ipsemet litteras ad Regem exaravit, exposuitque rationes, quibus obstrictum se credidit, ut ijs, qui Beneficia suae Diocesis Regiae obtentu adepti erant, sese opponeret. Quae omnia clarè ostendunt, Episcopo Alectensi semper curae fuisse, ut in hoc negotio omnes partes reverentiae expleret Principi suo debitae; & quae coercendis Regalisticis haecenus fecit, à sola necessitate debitoque officij sui fluxisse.

Illud

Illud quoque nullo fundamento nititur, quod addunt, *Regalia negotium fuisse à Judicibus competentibus jam judicatum decisumque.* Cùm enim Regalia ex juribus spiritualibus constet, quale est jus Beneficia conferendi, certum est, non potuisse nisi duobus modis Regibus acquiri, aut expresso vid. Ecclesiæ privilegio, in Oecumenico Concilio illis concessio, aut perpetuâ & immemoriali possessione, ex qua Ecclesiæ consensus præsumi possit. Jam verò certissimum est, nec legem ullam Ecclesiasticam, nec legitimam possessionem ostendi posse, ob quæ in Provincia Septimaniæ hoc jus sibi Princeps vindicare possit. Quid ergo in negotio hujus naturæ Regia Declaratio operetur? Nec enim ea Declaratio dici potest esse lex Ecclesiastica, nec etiam esse probatio legitimæ Possessionis; imò ex ea potius convincitur, nullam hæcenus Possessionem penes Regem fuisse; nam hæc Declaratio eò unice pertinet, ut Regem in possessionem juris inducat, quam hæcenus non habuit. Nullum ergo alium effectum ea Declaratio habet, quam ut sit argumentum Regiæ voluntatis; at verò innata Regi pietas & justitia nunquam permiserint, ut is suas voluntates pro Ecclesiasticis Legibus, se verò in causis spiritualibus pro Judice competenti haberi velit. Ad solam ergo Ecclesiam spectat de jure & privilegio cognoscere, quod sola dare potuit; nec umquam salvâ veritate dici poterit, hanc causam à competenti Judice decisam esse, quandiu à solo profano Tribunali sententia fluxerit, Ecclesiastico tacente.

Neque illud verum est, agnovisse in hac causâ Clerum Gallicanum Regij Senatûs jurisdictionem; id enim falsum est, si loquamur de universali ea quæstione, vid. *An Jus Regaliæ illimitatè ad Regem pertineat?* Solùm enim particulares

Gallica  
indicata  
Ca III  
279

ticulares privataeque controversiae, inter Regalistas vid. ex una, & legitimè ab Ordinarijs provisos ex altera partibus, coram Senatu Regio agitatae sunt; & in Parliamentis advocatae, juxta Henrici IV. & Ludovici XIII. Edicta, quae contra sententiam Parlamenti anno 1608. ad Cleri Gallicani preces impetratae sunt, id quod Dominus Episcopus Alectensis litteris ad Dominum Archiepiscopum Narbonensem die 6. Junij Anno 1676. exaratis prolixè ostendit.

Nec etiam aliquid probat, quod idem D. Archiepiscopus Narbonensis adjungit de potestate Officialis, aut Vicarij Generalis admittendi Ecclesiasticos ( qui se in Curia Romana provisos esse asserunt ) ab Episcopo rejectos, quo exemplo conatur ostendere, etiam ab Officiali suo potuisse Constitutionem Episcopi Alectensis damnari, Episcopo non citato. Ceterum nemo non videt, quantum inter utrumque casum discriminis intercedat; praeter enim illa, quae in simili causa ab Illustrissimo & Reverendissimo Episcopo Apamiensi notata sunt, ea etiam substantialis omnino differentia accedit, quod, cum Officialis, seu Vicarius Generalis ratas habet provisiones in Curia Romana factas, quamvis ab Episcopo rejectas, non de Potestate, quam circa hujusmodi provisiones Pontifex habet, judicium sibi sumit, sed tantum de provisi qualitibus personalibus; quo fit, ut hujusmodi Vicarij sententia nec legis vim habeat, nec ullum Pontificiae potestati praedictum pariat. Secus foret, si non tam de qualitibus personalibus, quam de ipso jure conferendis moveretur, tunc enim quem maximè referret Ecclesia, ne hoc jus ab ijs, qui illud non habent, usurpari permetteret; sicque haec causa proprie ad Ecclesiam pertineret, cujus defensor legitimus & naturalis Episcopus est; non ergo judicari de illa causa potuit.

Episco-

Episcopo non audito : planè res nova & mira est , potuisse  
 Officialem Narbonensem sibi persuadere , coram tribu-  
 nali suo velut Judicis competentis non disceptari tantùm ,  
 sed decidi etiam debuisse , an tota Narbonensis Provincia  
 Regaliæ ( de qua omnibus retrò annis exempta fuerat )  
 subjaceret ? idque ne vocatis quidem auditisque Episcopis ,  
 quorum utique intererat , ne in novam servitutem illæ Ec-  
 clesiæ raperentur . Si ergo hanc novam miràmque formam  
 judicandi admittamus , quoscunque deinceps violandi Ec-  
 clesiastica jura cupido incesserit , id tantùm curabunt , ut  
 primò Religionem Principis circumveniant : deinde ut  
 Officiales Episcoporum lucrentur , eosque suarum volun-  
 tatum executores faciant ; isti verò omnes Episcopos , qui  
 injustis eorum conatibus obsistent , tamquam qui leges in  
 Regno Gallico stabilitas , & ab Ecclesia receptas violassent ,  
 postulabunt . Sed mihi animus non est , perniciosos omnes  
 effectus , nec minùs Ecclesiasticæ Disciplinæ , quàm Reli-  
 gioni ipsi fatales recensere , qui ex hac agendi ratione pro-  
 cul dubio provenient . Ob has igitur aliàsque hujus generis  
 rationes suo loco & tempore producendas præfatus Domi-  
 nus Episcopus Alectensis declarat , notùmque facit Emi-  
 nentissimo Domino Cardinali & Archiepiscopo Narbo-  
 nensi , nec non suprà nominatis Domino Promotori , &  
 Joanni Petro Gaston de Foix , se in appellatione persistere  
 jam semel ad Sanctissimum Dominum nostrum INNOCEN-  
 TIUM XI. Sedémque Apostolicam à dicta Eminentissimi  
 Cardinalis & Archiepiscopi Ordinatione interposita , ac  
 in optima forma protestatur , quidquid in præjudicium  
 præfatæ appellationis fieri aut attentari contigerit , nullum  
 irritùmque fore ( quippe juxta Canonicas Regulas , pen-  
 dente appellatione nihil fieri , aut innovari oportet ) suàs-  
 que

N n

que

Gallica  
 indicata  
 Ca III  
 230

que Constitutiones 5. Martij & 17. Octobris anno 1676. datas executioni interim dandas esse, donec à sua Sanctitate & Sacra Apostolica Sede aliter disponatur.

## Documentum XXV.

Tertia epistola Illustrissimi & Reverendissimi  
Episcopi Alectensis ad INNOCENTIUM XI.  
Summum Pontificem.

**I**N hac confectæ ætatis & affectionis paralytica sinistram corporis partem occupantis invalescente ægritudine, ætissimam meam cum Apostolica Sede communionem, & singularem erga Pontificatum Sanctitatis Vestræ reverentiam & devotionem hoc monumento testatam vobis simul & extrema Ecclesiæ mihi commissæ amoris officia exhibere satagens, ad auctoritatem & tutelam Vestram, quâ maximè modò indiget, confugio. Nativam illius & perpetuam à Regaliæ jure immunitatem, quæ illi cum tota Provincia Ecclesiastica Narbonensi, & alijs quibusdam communis est, juxta Concilij generalis Lugdunensis Constitutionem pro parte mea hucusque tuus sum. Ac eam novo & insolito Regaliæ juri post discessum meum jam instantem penitus subjectum iri prospicio, nisi intercessione summæ Vestræ Auctoritatis apud Christianissimum Regem ab ejusmodi jugo vindicetur. Quare hoc unum rogo, Beatissime Pater, ut ipsam in eadem libertate & immunitate, cum qua quadraginta abhinc annis eam suscepi, Beatitudini Vestræ custodiendam commendem. Est & aliud grave mihi, Beatissime Pater, quippe quòd meæ cum Apostolica Sede communioni umbram aliquam offundere